Quelle: https://manuscripta.at/?ID=916
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

sa et faciat deus sicut vult de fuis suis et de sua navi. Reficiebantur autem semper ad vesperas. aliquando autem ventum habebant in quam partem ferrebatur navis. Consummatis iam xl. diebus et omnibus dispendiis que ad victum pertinebant. apparuit eis quedam insula ex parte septentrionali valde saxosa et alta. Cumque appropinquassent ad litus illius viderunt ripam altissimam sicut murum et diversos rivulos descendentes de summitate insule fluentes in mare. tamen minime invenire poterant portum ubi stetisset navis. Fratres autem valde vexati de fame et siti. singuli acceperunt vascula sua. ut aliquid de aqua potuissent sumere. Sanctus enim brendanus cum hoc audisset dixit. Nolite facere. stultum est quod agitis. Cum deus non vult nobis ostendere portum intrandi. et rapinam vultis facere. Dominus iesus christus post tres dies ostendet servis suis portum et locum manendi ut reficiantur corpora vexata. Cumque circuirent per tres dies illam insulam. tercia die circa horam nonam invenerunt portum ubi erat aditus unius navis. et statim surrexit sanctus brendanus et benedixit introitum. Erat namque petra incisa ex utraque parte mire altitudinis sicut murus. Cum vero omnes ascendissent de navi et stetissent foras in terra. precepit sanctus brendanus ut nichil de suppellectile tulissent de navi foras. Porro ambulantibus illis per ripas maris. occurrit illis canis per quandam semitam et venit ad pedes sancti brendani.